INSTRVMEMTVM
PACIS
CÆSAREO-OTTOMANICVM
Subſcriptum 26. Ianuarij 1699.

In Nomine Sanctiſſimæ, & Individuæ Trinitatis.



D perpetuam rei memoriam. Notum ſit omnibus & ſingulis quorum intereſt: Poſteaquam per ſedecim hucuſque annos, ſævum, exitiale, & multa humani ſangvinis effuſione cruentum adeò bellum, cum plurimarum Provinciarum deſolatione geſtum eſſet inter Sereniſſimum, & Potentiſſimum Principem & Dominum LEOPOLDVM Electum Romanorum Imperatorem ſemper Auguſtum, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ Regem, Archiducem Auſtriæ, Ducem Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Marchionem Moraviæ, Ducem Luxemburgiæ, Superioris & Inferioris Sileſiæ, Wirtembergæ, & Teckæ, Principem Sveviæ, Comitem Habſpurgi, Tyrolis, Kyburgi & Goritiæ, Marchionem Sacri Romani Imperii, Burgoviæ, ac Superioris & Inferioris Luſatiæ, Dominum Marchiæ Sclavonicæ, Portûs Naonis & Salinarum &c. ab Vna: & Sereniſſimum, atque Potentiſſimum Principem & Dominum Sultanum Muſtaffa Han Ottomannorum Imperatorem, ac Aſiæ & Græciæ, eiusque glorioſos Prædeceſſores ab altera parte: miſertique tandem afflictæ Subditorum Sortis ſummè dicti ambo Potentiſſimi Imperatores finem tantis in perniciem Generis Humani indies augeſcentibus malis ponere ſeriò in animum induxiſſent, factum Divinâ bonitate eſſe, ut annitentibus, & conciliantibus Sereniſſimo, & Potentiſſimo Principe, & Domino Guilielmo Tertio, Magnæ Brittanniæ, Franciæ, & Hiberniæ Rege, uti & Celſis ac Præpotentibus Dominis Ordinibus Genaralibus Unitarum Belgij Provinciarum, ſolennes ea de cauſâ Tractatus Carlovizîj în Sirmio propè Confinia utriuſque Imperij inſtituti atque ad finem perducti fuerint. Comparantes quippe dicto loco utrinque legitimè conſtituti Plenipotentiarij, nomine quidem Sacræ Ceſareæ, & Romanorum Imperatoriæ Majeſtatis, Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Domini, Dominus Wolffgangus Sacri Romani Imperij Comes ab Oettingen Sacræ Ceſareæ Majeſtatis Cubicularius, Conſiliarius Intimus, & Conſilij Imperialis Aulici Præſes: & Dominus Leopoldus Schlik Sacri Romani Imperij Comes in Paſſaun, & Weiskirchen, Ejusdem Sacræ Ceſareæ Majeſtatis Cubicularius, Generalis Vigiliarum Præfectus & Legionis Deſultorium Equitum Tribunus: ambo ad Tractatus hoſce Pacis cum Porta Ottomanica deputati Legati Extraordinarij & Plenipotentiarij: nomine verò Imperialis Ottommanicæ Majeſtatis, Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Domini, Dominus Mehemet Effendi, Supremus Imperij Ottomannici Cancellarius, & Dominus Alexander Mauro Cordato ex nobili ſtirpe de Scarlati intimus jam dicti Imperij Conſiliarius, & Secretarius: interventu & operâ Illuſtriſſimorum, & Excellentiſſimorum Dominorum, Domini Guilielmi Paget, Baronis de Beaudeſert, Sereniſſimi Magnæ Brittanniæ Regis, & Domini Jacobi Colyer Celſorum, & Præpotentium Generalium Fœderati Belgij Ordinum, amborum apud Excelſam Portam Ottomannicam Oratorum, & ad reſtabiliendam pacem univerſalem Legatorum Plenipotentiariorum, qui munere Mediatoris integrè ſedulò & prudenter perfuncti ſunt: poſt invocatam æterni Numinis opem, & commutatas ritè mandatorum tabulas ad Divini Nominis gloriam. & utriuſque Imperij ſalutem, in ſequentes viginti mutuas Pacis, & Concordiæ Leges convenerunt.

ARTICVLVS PRIMVS

Regio Tranſylvanæ, quemadmodum de præſenti in poſſeſſione, & poteſtate Ceſareæ Majeſtatis, ita maneat in Ejuſdem Dominio: Et à Podoliæ Confinio, uſque ad extremum Vallachiæ Confinium, ſuis Montibus, qui antiqui fuerunt Limites ante præſens bellum inter Tranſylvaniam ex una parte,, & Moldaviam atq; Vallachiam ex alia

ex alia parte, atque à Confinio Vallachiæ usque ad Flumen Marusium, pariter suis Montibus, qui antiqui fuerunt Limites, circumscribatur, & sic utrinque observatis antiquis Limitibus, nec ultrà nec citrà ab utroque Imperio fieri possit extensio.

ARTICULUS SECUNDUS

Provincia subjecta Arci Temeswariensi cum omnibus suis districtibus, & interfluentibus Fluvijs maneat in possessione, & potestate Excelsi Imperij Ottomannici, atque à parte Transylvanæ fines ejus sint ab extremo Confinio Vallachiæ usque ad Fluvium Marusium in superiori Articulo constituti Transylvaniæ antiqui Limites. Tum à parte Marusij usque ad Fluvium Tibiscum citerioribus ipsis ejusdem Marusij & à parte Tibisci usq; ad Danubium citerioribus ripis Fluvij Tibisci fines ejus limitentur: Quæ verò intra prædictos Limites sita sunt Loca, nempe Caransebes, Lugos, Lippa, Csanad, Kiscanisia, Betsche, Betskereck, & Sablia citiùs, & intra præconstitutos ante præsens bellum Limites antiquos Transylvaniæ, ac secundùm prædeclaratam rationem intra ripas Fluminum Marusij & Tibisci in Temeswarinensibus Territorijs, qualiscunq; alius similis locus reperiatur. eâ conditione destruantur per Cæsareos, ut vi Pactorum ampliùs reædificari non possint: Et prædicta Regio Temeswarinensis omnino libera relinquatur, & imposterum neq; in dictis hisce locis, neq; prope ripas Fluviorum Marusij atq; Tibisci alia vel majora vel minora loca, quæ possint speciē Fortificationis exhibere, exstruantur.

Fluviorum Marusij ac Tibisci inter Provinciam Temeswarinensem, & Provincias Cæsareæ potestati, & possessioni subjectas, usus sit communis Subditis utriusq; Imperij, tum ad potum pecorum omnis generis, tum ad piscationem, & alias commoditates Subditis perquàm necessarias.

Cùm verò onerariæ Naves à partibus superioribus subjectis Cæsareo Dominio, tum per Marusium Fluvium in Tibiscum, tum per Tibiscum in Danubium, sive ascendendo sive descendendo ultrò citroq; meantes nullo obice præpediri debeant, navigatio Navium Germanicarum, aut aliorum Subditorum Cæsareorum, nullo modo possit in cursu suo ultrò citroq; incommodari, sed liberè atq; commodissimè fiat ubiq; in prædictis duobus Fluvijs; Et siquidem reciprocæ amicitiæ & mutuæ benevolentiæ convenientia id etiam requirat, ut Subditi Imperiali Ottomannicæ potestati subjecti possint usûs prædictorum Fluviorum esse participes, sine impedimento Navibus piscatorijs etiam ac Cymbis utantur.

Molendinariæ autem Naves in locis tantùm, quibus Navigationi alterius nempe Cæsarei Dominij, nullatenus impedimento esse possint, communicatione Gubernatorum utriusq; Dominij, & consensu ponantur: quinimò ne diversione aquarum in Marusio cursus Cæsarearum Navium incommodum aliquod patiatur, nullatenus permittatur, ut sive Molendinorum, sive aliâ occasione ex Marusio aquæ aliò deriventur seu diducantur. Insulæ quæcunq; in prædictis Fluvijs, cùm actu sint in potestate Cæsarea, maneant, uti possidentur: & Subditi utriusq; Dominij omnino pacificè atq; tranquillè vivant, severissimisq; Edictis ab insolentijs, & contraventione Pactorum contineantur.

ARTICULUS III.

Cùm Regio inter Fluvios Tibiscum, & Danubium vulgò dicta Batska sit in sola possessione & potestate Cæsareæ Majestatis, sic maneat deinceps etiam in præfata potestate, & Dominio Cæsareo, neq; Titelium magis, quàm in præsenti est, fortificetur.

ARTICULUS IV.

Ab extrema ripa citeriore Tibisci, opposita Titelianæ ripæ, & angulo terræ ibidē per conjunctionem Tibisci, & Danubij terminato deducatur linea recta usq; in ripam Danubij: item è regione citerioris ripæ Tibiscanæ sitam, & ulteriùs protrahatur pariter recta ad Moravizij ripam citeriorem amnis Bossut: & inde ad Locum, usq; ubi prædictus amnis Bossut principali alveo in Savum elabitur: & Moravizio sine ulla Fortificatione relicto, exstructisq; tantùm in opposita utrinq; ripa, apertis pagis, separentur per prædictam lineam firmatam atq; distinctam sive fossis, sive lapidibus, sive palis, sive aliâ ratione, Imperia sequenti modo: Regio versùs Belgradinum intra modò dictos Limites permaneat sub sola potestate Potentissimi Ottomannorum Imperatoris: Regio verò extra prædictam lineam sita, maneat sub sola potestate, & possessione Potentissimi Romanorum Imperatoris: & secundùm prædictos Limites pariter possideantur Fluvij, qui sunt Territorijs permanentibus in possessione utriusq; partis.

ARTICULUS V.

Ab ostio annis Bossut in Sàvum effluentis, usque item in Sàvum elabentis Unnæ Fluvii ostium Savi altera quidem pars pertinens ad Ditionem Cæsaream possideatur ab Imperatore Ottomannorum.

Interfluens Fluvius Savus, & Insulæ in hoc communi tractu sitæ, sint communes,

nes, & uſus tum ad navigationem ultrò citroque, tum ad alias commoditates utriuſque partis Subditis pariter communis ſit, utriuſque religioſè obſervantibus pacificum, & imperturbatum ultrò citroque commercium.

Uſque ad Unnam Fluvium Regio pertinens ad Dominium Imperialis Ottomannicæ Maieſtatis, quâ Boſniam ſpectat, citerioribus ripis Unnæ Fluvij definiatur atque terminetur evacuatis Novi, Dubizza, Jeſſenovizza, Doboy, & Brod ex parte Boſnenſi: & qualicunque alio ſimili loco in hoc Tractu exiſtente, & deducens inde Præſidijs Cæſareis, iſta pars omni modo libera relinquatur: Caſtanouiz autem, & Inſulæ infra Terram Novi verſùs Savum cum ulterioribus ripis ejuſdem Unnæ, cùm ſint & maneant in poteſtate Romanorum Imperatoris, prædictis Limitibus hinc diſtinguantur.

Loca demùm ultra Unnam longè à Savo ſita, & ab utraque parte Præſidijs conſervata, atque poſſeſſa cum Terris ante præſens bellum ad eadem ſpectantibus, maneant iterum in poteſtate utriuſque poſſidentis partis, eâ conditione, ut Commiſarij utrinque mox deputandi Diſtrictus atque Territoria ſingulatim deductis particularibus Lineis ſepárántes, per foſſas, lapides, palos, aut aliâ quacunque ratione, ad evitandam confuſionem poſita ſigna, ſegregent atque disjungant, in partibus Croatiæ uſque ad ultimum Confinium, & terminum Locorum in utriuſque Dominij poſſeſſione permanſurorum.

Et ex utraque parte, ſi quis auſus fuerit alterare, mutare, tollere, aut quovis modo violare aliquod ex prædictis Signis, ille per omnimodam inquiſitionem deprehenſus ad exemplum aliorum ſeveriſſimè puniatur.

Commiſárijs verò ad diſtinctionem, & poſitionem Limitum in iſto Confinio, quo ad fieri poterit, quàm celerrimè deputandis Regijs Edictis demandetur, ut ad tranquilitatem, & ſecuritatem Subditorum utriuſque Dominij ſedulò animum adhibentes ſine Controverſia, & ſine quacunque particulari Complacentia Terras optimè ſeparent, atque mánifeſtè diſtinguant.

Cùm ſiti in altera Savi parte, quà Dominium Imperiale Ottomannicum recipit, munimenti Brod Fortificationes utpote recenter à Militijs Cæſareis factæ, tempore educendi Præſidij Cæſarei, everti debeant, locus autem ille ſit commodiſſimus ad Mercaturam, poterit ibidem erigi cum honeſto & commodo recinctu civitas, ita tamen ut in Arcis aut Munimenti formam non redigatur.

ARTICVLVS VI.

Definiti tandem per hoſce Tractatus, & ſubſecutâ, ubi opus fuerit, locali Deputatorum Commiſſariorum ſeparatione ſtabiliti, ſive deinceps idoneo tempore per operam Commiſſariorum utrinque ſtabiliendi Confiniorum Limites ſanctè utrinque, & religiosè obſerventur, ita ut ſub nulla ratione aut prætextu extendi, transferri, aut mutuari poſſint: neque liceat alicui paciſcentium parti in alterius partis Territorium ultra ſtatutos ſemel terminos, aut lineas quidquam Juris aut poteſtatis prætendere aut exercere, aut alterius partis Subditos ſive ad deditionem, ſive adpendendum tributum qualecunque ſive præteritum, ſive futurum, ſive ad quamvis aliam humano ingenio excogitabilem exactionis aut vexationis ſpeciem adigere aut moleſtare, ſed omnis altercatio juſtè amoveatur.

ARTICVLVS VII.

Licitum & Liberum eſto utrique partium pro Confiniorum ſuorum ſecuritate, quocunque meliori viſum fuerit modo, arces, munimenta, & loca, per præſentes Tractatus pacificè poſſeſſa, quæcunque de facto extant, reparáre, munire, & fortificare, exceptis illis, de quibus utrinque nominatim cautum eſt. Ad Incolarum verò commodas habitationes in extremis Confinijs apertos pagos ædificare ubique ſine impedimento, & ſine exceptione utrique parti liceat, dummodo ſub hoc pretextu Fortalitia non erigantur.

ARTICVLVS VIII.

Incurſiones hoſtiles, & occupationes, omneſq; inſultus clam aut ex improviſo facti, devaſtationes, & depopulationes Territorij utriuſq; Dominij omnino, & ſeveriſſimis Mandatis prohibitæ ſint ac illicitæ: tranſgreſſores verò articuli hujus ubicunq; deprehenſi ſtatim incarcerentur, & per Jurisdictionem Loci, ubi captivati fuerint, pro merito puniantur abſq; ulla remiſſione, & rapta quæcunq; ſint diligentiſſimè perquiſita, & adinventa, cum omni æquitate Dominis ſuis reſtituantur: Capitanei quoq; ipſimet, Commendantes, & Præfecti utriuſq; partis ad juſtitiam nullâ admiſsâ injuriâ integerrimè adminiſtrandam ſub amiſſione officij non ſolùm, ſed etiam vitæ, & honoris adſtricti ſint, atq; obligati.

ARTI-

ARTICULUS IX.

Maneat porrò etiam illicitum futuris quoque temporibus, receptaculum vel fomentum dare malis Hominibus rebellibus Subditis, aut malè contentis, sed ejusmodi Homines, & omnes Prædones, raptores, etiamsi alterius partis Subditi sint, quos in ditione sua deprehenderint, merito supplicio afficere, utraque pars adstricta sit: qui si deprehendi nequeant, Capitaneis aut Præfectis eorum, sicubi eos latitare compertum fuerit, indicentur, ijque illos puniendi Mandatum habeant: quòd si nec hi officio suo in punitione talium Sceleratorum satisfecerint, indignationem Imperatoris Sui incurrant, aut officijs exuantur, aut ipsimet pœnas pro reis luant; Quoque magis nefariorum hujusmodi petulantijs cautum sit, neutri partium liceat intertenere, & alere Haydones, quos liberos nuncupant, Plagiarios Pribeck dictos, atque id genus facinorosorum Hominũ, qui non sunt alterutrius Principis stipendio conducti, sed rapto vivunt, tamque ij, quàm qui eos aluerint, pro demerito puniantur, talesque nefarij, etiamsi consuetæ vitæ emendationem præseferant, nullam fidem mereantur, nec prope Confinia tolerentur, sed ad alia remotiora loca transferantur.

ARTICULUS X.

Cùm tempore præsentis hujus belli plures ex Hungaris & Transylvanis à subjectione Suæ Cæsareæ Majestatis secedentes ad Confinia Excelsi Imperij se se receperint, atque hac in parte etiam conclusæ per inducias inter utrumque Imperium almæ huic Paci debitis modis in futuram securitatem providendum sit, de prædictis ita pactum est, ut in ditionibus antè nominati Excelsi Imperij ad lubitum possint locari & accommodari: Ne tamen aliquo modo Confiniorum tranquillitas, & Subditorum quies perturbari queat, loca, ubi prædicti collocabuntur, remota sint ab omnibus limitaneis, & confiniarijs partibus, & uxoribus illorum dabitur facultas sequendi Maritos suos, ijsq; in Imperatorio assignato ad hoc districtu cohabitandi. Cùmq; imposterum in reliquos Subditos Potentissimi Ottomannorum Imperatoris annumerandi veniant, non liceat illis à subjectione ejusdem ampliùs recedere: & si qui recesserint, atq; ad Patriam iterum reverti voluerint, in numero & conditione malevolorum recenseantur, neq; illis à Cæsareis fomentum aut receptaculum præbeatur, quinimo deprehensi Ottomannis Confiniorum Gubernatoribus extradantur, quo magis utrinq; securitati Pacis prospiciatur.

ARTICULUS XI.

Ad tollendas penitus quascunq; in Confinijs super aliquo articulorum Armistitij hujus, aut quavis de re imposterum enascentes controversias, differentias, aut discordias, ubi prompto & maturo remedio opus sit, ordinentur utrinq; in Confinijs primo quoq; tempore electi pari numero Commissarij, viri neutiquam avidi, sed graves, probi, prudentes, experti, atq; pacifici: Hiq; loco opportuno convenientes fine exercitu cum æquali pacificarum personarum comitiva, omnes & singulas hujusmodi controversias emergentes, audiant, cognoscant, decidant, & amicabiliter componant, talem deniq; ordinem, & modum constituant, quo utraq; pars suos Homines, & Subditos citra omnem tergiversationem vel prætextum gravissimis pœnis ad sinceram ac firmam pacis observantiam compellat: Quod si veró negotia tanti momenti occurrerent, quæ per Commissarios utriusque partis componi, & expediri non possent, tunc ad ambos Potentissimos Imperatores remittantur, ut ipsi complanandis ijsdem, sedandis, & extingvendis modum, & rationem invenire, & adhibere valeant, ita ut tales controversiæ, quàm fieri poterit intra brevissimum temporis spatium, componantur, nec earum resolutio ullâ ratione negligatur, aut protrahatur.

Cùmq; præterea in antecedentibus sacris capitulationibus duella, & mutuæ ad certamen provocationes fuerint vetitæ, imposterum etiam sint illicitæ; & si qui ad singulare certamen venire ausi fuerint, in illos ut transgressores grauissimè animadvertatur.

ARTICULUS XII.

Captivi tempore præsentis belli ex utraq; parte in captivitatem abacti, & in publicis carceribus adhuc superstites, cùm occasione istius almæ Pacis eliberationem tandem aliquando meritò sperent, nec possint sine læsione Majestatis Imperatoriæ, & laudatæ consvetudinis in eadem captivitatis miseria, & calamitate relinqui: usitatis ab antiquo, vel honestioribus adhuc rationibus per commutationem in libertatem asserantur, & si plures, aut melioris conditionis in una quàm in altera parte inveniantur, pro reliquorum etiam eliberatione, quando solennes Legati instantias afferent, gratiosa, & huic almæ Paci conveniens utriusq; Imperatoris pietas nequaquam denegetur: Cœteris verò, qui in privatorum potestate sunt, vel apud ipsos Tartaros, licitum sit eliberationem suam honesto, &, quàm fieri poterit, mediocri lytro procurare. Quòd si cum Captivi Domino honesta accommodatio fieri non poterit, Judices locorum litem omnem per compositionem dirimant: sin autem prædictis vijs id etiã

confici

confici haud posset, Captivi pretijs eorum sive per testimonia, sive per Juramenta probatis atq; solutis eliberentur. Nec possint aviditate majoris lucri sese redemptioni eorundem opponere, & quandoquidem ex parte Excelsi Imperij Ottomannici Homines non emitterentur, qui taliter eliberandis captivis operam adhibeant, spectabit ad probitatem Cæsareorum Præfectorum, ut ad dimittendum Ottomannos Captivos, quo empti sunt pretio sincerè liquidato, Dominos illorum adstringant, atq; ita sanctum hoc opus pari utrinq; pietate promoveatur; quousq; demùm Captivi utrinq; prædictâ ratione eliberentur, Legati Plenipotentiarij ex utraq; parte officia sua adhibebunt, ut interea miseri Captivi benignè tractentur.

ARTICVLVS XIII.

Pro Religiosis, ac Religionis Christianæ exercitio juxta ritum Romano Catholicæ Ecclesiæ, quæcunque præcedentes glorosissimi Ottomanorum Imperatores in Regnis suis sive per antecedentes Sacras Capitulationes, sive per Signa Imperialia, sive per Edicta, & mnndata specialia favorabiliter concesserunt, ea omnia Serenissimus, & Potentissimus Ottomannorum Imperator imposterum etiam observanda confirmabit, ita ut Ecclesias suas præfati Religiosi reparare atque resarcire possint, functiones suas ab antiquo consuetas exerceant, & nemini permissum sit, contra Sacras Capitulationes & contra Leges Divinas aliquo genere molestiæ, aut pecuniariæ petitionis eosdem Religiosos cujuscunq; Ordinis, & conditionis afficere, sed consuetâ Imperatoriâ pietate gaudeant, & fruantur. Præterea Serenissimi, & Potentissimi Romanorum Imperatoris solenni ad fulgidam Portam Legato licitum sit, commissá sibi circa Religionem, & Loca Christianæ Visitationis in Sancta Civitate Jerusalem existentia exponere, atque instantias suas ad Imperiale Solium afferre.

ARTICVLVS XIV.

Commercia juxta antecedentes etiam sacras Capitulationes libera sint utriusque partis Subditis, in omnibus Imperiorum Regnis, & Ditionibus; ut autem utrique parti utili ratione, & sinè fraude, & dolo peragantur, inter Deputatos Commissarios rem mercatoriam bene intelligentes tempore solennium utrinque Legationum contractabitur, & sicuti cum alijs Excelsi Imperij amicis nationibus observatum est, itá etiam Subditi cujuscunque Nationis Cæsareæ Majestatis securitate, & utilitate Commerciorum in Regnis Excelsi Imperij idoneis modis, & usitatis Privilegijs gaudebunt, & perfruentur.

ARTICVLVS XV.

Quæcunque conditiones in antiquis sacris Capitulationibus expressæ sunt, nec prædictis Punctis hoc Tractatu stipulatis, aut liberrimo cujusque possidentium Dominio, & usui Ejusdem adversantur, aut præjudicant, post hac etiam colantur sanctè, & observentur, cassatis & annulatis ijs, quæ supradictis quocunque modo repugnant.

ARTICVLVS XVI.

Ut quoq; tantò magis Armistitium hoc bonaq; inter ambos Potentissimos Imperatores amicitia firmetur, ac coalescat, mittentur solennes utrinq; Legati ex æquo usitatis cæremonialibus ab introitu in Confinia usq; ad reditum in locum secundæ permutationis excipiendi, honorandi, tractandi atq; prosequendi, qui in signum amicitiæ spontaneum munus, conveniens tamen, & utriusq; Imperatoris dignitati consentaneum afferent; Et primâ Æstate in mense Junio iter, prævia mutuâ correspondentiâ, uno eodemq; tempore suscipientes in Sirmiensi Confinio, more jam pridem inter utrumq; Imperium observato permutabuntur. Solennibus porrò Legatis in Imperatorijs Aulis, quidquid libuerit, petere liceat, ac permittatur.

ARTICVLVS XVII.

Regula, & norma Curialium in recipiendis, receptisq; pariter honorandis, & tractandis Ministris ultrò citroq; commeantibus, & commorantibus juxta usitatam prioribus etiam temporibus modalitatem deinceps ab utrinq; cum æquali decore, & secundùm distinctam characteris missorum prærogativam observetur.

Legatis Cæsareis, & Residentibus, & quibusvis eorundem Hominibus pro suo arbitrio, quibuscunq; placuerit Vestibus uti licitum sit, nevè quisquam impedimento esse possit. Ministri porrò Cæsarei, sive Oratoris, sive Legati, sive Residentis, sive Agentis munere fungantur, quibus reliquorum Principum fulgidæ Portæ amicorum Legati, & Agentes immunitatibus, & Privilegijs perfruuntur, eâdem libertate, imò ad distingvendam Cæsareæ dignitatis prærogativam usitatis melioribus modis fruantur, habeantq; liberam potestatem conducendi Interpretes. Cursores etiam, & alij eorum Homines Viennâ ad fulgidam Portam, atq; iterum redeuntes, & ultrò citroq; venientes salvo passu tutò, & securè permeent, atq; ut commodè iter suum perficiant, omni favore coadjuventnr.

 ARTI-

ARTICVLVS XVIII.

Pax ista quamvis secundùm propositas conditiones conclusa, tum demùm integrum ex omni parte robur obligationis, & debitæ observantiæ vinculum accipiet, & inducet, cùm omnia, & singula, quæ de Confinijs suprà recensito modo ultrò citroq; promissa, & acceptata sunt, tam de distinctionibus Limitum, quàm de evacuationibus, & demolitionibus plenariè in effectum, & executionem deducta fuerint, ita, ut absolutâ designatione Limitum in unoquoq; Confinio statim subsequatur demolitio, aut evacuatio, quod ut quàm celerrimè succedat, designentur ad Limites, & terminos Confiniorum ponendos, & distingvendos ex utraq; parte Commissarij, qui de Æquinoctij, scilicet 22. Mensis Martij, aut 12. secundùm veterem stylum, Anni Millesimi Sexcentesimi Nonagesimi noni, in Locis inter Commissarios consensu Gubernatorum utriusq; Confinij determinandis, mediocri, & pacifico Comitatu conveniant, atq; intra Spatium duorum Mensium, si possibile sit, aut etiam citiùs, ubi fieri poterit, Confinia Limitibus, & terminis manifestis per superiores articulos constitutis distingvant, separent, determinent, & Statuta inter Legatos Plenipotentiarios utriusq; Imperij accuratissimè, & citissimè exequantur.

ARTICVLVS. XIX.

Has verò conditiones, & articulos ad formam hîc mutuò placitam à Majestatibus utriusq; Imperatoris ratihabitum iri, atq; ut solennia ratificationis Diplomata intra Spatium triginta dierum à die Subscriptionis, vel citiùs in Confinijs per Illustrissimos & Excellentissimos Legatos Plenipotentiarios Mediatores reciprocè rectèq; commutentur, Legati Plenipotentiarij utriusq; Imperij se se infallibiliter obligant, atq; præstituros compromittunt.

ARTICVLVS XX.

Duret Armistitium hocce, & extendatur, favente DEO ad viginti quinque Annos continuè sequentes à die, qua ejusdem subscriptio facta fuerit, quo Annorum numero elapso, vel etiam medio tempore priusquam elabatur, liberum esto utriq; partium, si ità placuerit, Pacem hanc ad plures adhuc Annos prorogare.

Itaq; mutuo, & libero consensu quæcunq; stabilita sunt Pacta inter Majestatem Serenissimi, & Potentissimi Romanorum Imperatoris, & Majestatem Serenissimi, & Potentissimi Ottomannorum Imperatoris, & Hæredes Eorundem: Imperia quoque, & Regna Ipsorum: terrâ item mariq; sitas Regiones, Civitates, Urbes, Subditos, & Clientes observentur sanctè, religiosè, ac inviolabiliter; Et demandetur seriò omnibus utriusq; partis Gubernatoribus, Præfectis, Ducibus Exercituum, atq; Militijs, & quibusvis in eorundem Clientela, obedientia, & subjectione existentibus, ut illi quoque prædeclaratis conditionibus, clausulis, pactis, & articulis sese adæquatè conformantes omnibus modis caveant, ne contra Pacem, & amicitiam hanc sub quocunq; nomine, aut prætextu, se invicem offendant, aut damnificent, sed quolibet prorsus Inimicitiæ genere, abstinendo bonam colant vicinitatem, certò scientes, quòd si eatenùs admoniti morem non gesserint, severissimis in se pœnis animadvertendum fore.

Ipse quoq; Crimensis Chanus, & omnes Tartarorum Gentes quovis nomine vocitatæ ad Pacis hujus, & bonæ vicinitatis, & reconciliationis Jura ritè observanda adstricti sint, nec ijsdem contraveniendo, hostilitates qualescunq; exerceant erga quasvis Cæsareas Provincias, earumq; Subditos aut Clientes: Porro sive ex alijs Exercituum generibus, sive ex Nationibus Tartarorum, si quis contra sacras Imperatorias hasce Capitulationes, & contra Pacta, & Articulos earum quidpiam ausus fuerit, is pœnis rigorosissimis coërceatur.

Incipiat verò modo dicta Pax, Quies, & Securitas Subditorum utriusq; Imperij à suprafata die subscriptionis, & cessent exinde, atq; sustollantur omnes utrinq; inimicitiæ, & Subditi utriusq; partis securitate, & tranquillitate fruantur; Eoq; fine, & quò magis per summam curam, ac sedulitatem hostilitates inhiberi possint, transmittantur quàm celerrimè Mandata, & Edicta publicandæ Pacis ad omnes Confiniorum Præfectos, cùmq; Spatium aliquod temporis requiratur, intra quod Officiales in remotioribus præsertim Confinijs istam conclusæ Pacis notitiam obtinere valeant, statuuntur viginti dies pro termino, post quem si quis hostile quidpiam alterutra ex parte admittere præsumpserit, pœnis superiùs declaratis irremissibiliter subjaceat.

Ut demùm Pacis Conditiones viginti hisce articulis conclusæ, utrinq; acceptatæ, & debito summoq; cum respectu inviolatæ observentur: Siquidem Domini Plenipotentiarij Ottomannici vi concessæ ijsdem facultatis Imperatoriæ Instrumentum Turcico Sermone exaratum, & subscriptum, legitimum, & validum nobis exhibuerint: Nos quoque vi Mandati, & Plenipotentiæ nostræ, proprijs manibus, & proprijs Sigillis subscriptas, & signatas hasce Pactorum Literas in Latino Idiomate tanquam legitimum, & validum vicissim Instrumentum extradidimus.

FINIS.